

Non ex risu solo, respondit DULODORUS; sed ex auribus acutis Faunum hunc, aut Satyrum esse pronuncio; Has enim utrorumque insigne fuisse, jam vidimus. Eas non observaram, excepit ARCHÆOPHILUS, Res aperta est, & jam mihi etiam in faciei lineamentis, comæque horrore, Faunum agnoscere video. De Satyris autem Lucianus obstat, qui Satyros *Φαλακκίους Calvos* fuisse asserit. De Senibus id sumendum, respondit DULODORUS, quos Pausanias *Silenos* dictos asserit; Silenus enim, Calvus hodiernum in Antiquitatum monumentis prostat, uti & supra vidimus. In proposito, utpote juniore, res fecus se habet, lucemque suam ex superioribus mutuatur. Risus superest, excepit ARCHÆOPHILUS, quem equidem in Satyro non miror, cum ex Diodoro constet, Satyros ad tripudia & decantationem Carminum, omnemque hilaritatem & lusum aptos fuisse: Imò cum & Horatio in Arte, Satyros *risores* meminerim cognominari: Quid autem de Faunis? De Satyris si constet, respondit DULODORUS, constabit & de Faunis; & quid dubites, cum tamen in Faunalium solennibus inter cetera & risus fuerit, norante Plutarcho? De Satyro autem res clarior etiam ex Epigrammate Nili Scholastici, cum quo nostrum ritè alloqui posses:

Πάντες μὲν Σάτυροι Φιλοκέρτομοι. Εἰπέ δὲ καὶ σὺ,

Τὶ πρὸς ἑκάστου ὄρων τὸν δὲ γέλωτα χέεις;

Omnes quidem Satyri Convitiatores. Dic verò & Tu,

Quid ad quemque videns hunc risum profundū?

Cui ex eodem respondere videbitur ipse:

Θάμβος ἔχων γέλω, πῶς ἐκ λίθου ἄλλοθεν ἄλλης

Συμφερότος, γενόμεν ἑξαπίνης Σάτυρος.

Stuporem habens video, quomodo ex lapide aliundè alio

Collatus, factus sum repente Satyrus?

Succedunt

TITYRI.

Fauno
tes; T
respon
elle, n
nor ab
Fauno
Teltat
Βακχ
(adm
Nym
LUS
appe
RUS
rale
Corr
altec
gavit
sunt,